



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. Mores Dacorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

*Scytha* dicuntur apud Herodotum, quâ voce utitur etiam sæpe Naso. Addit Epitheton Herodotus ἀθάνατοι *immortales*, quia non putabant se mori, sed ad Deum suum Zamolxim transire; Arrianus lib. 1. exped. Alex. ἀπαθανάτωτας nuncupavit. Suidas etiam suo tempore dictos *Patzinacitas* significat. Posterius & *Gepide* vocati, & regio *Gepidia*, primumque *Gepandas* dictos, quæ vox *Tardum* sonat apud Gothos, quoniam & ingenio, & corpore tardi erant, inquit Iornandes; vel ut ait Cluverius, quia longinquam militiam detrectarunt, & ad Venedicum sinum hæere maluerunt: postmodum tamen in Daciam transgressi sunt, inde fit, ut Procop. lib. 1. Γεννὸν ἔθνος φασὶ τοὺς Γόθους εἶναι.

N V M. 2. *Quantitas.*

DACOS utramque Danubij ripam incoluisse, & ad Hæmum montem extensos esse liquet ex Dione, & Mæfos etiam fuisse Dacos. Unde intelliges quid dicatur à Poëtis, duplex, aut uterque Dacus. Eutropius ait Daciam decies centena milliaria in circuitu tenere. Ptolemæus eam cum Mysia iunctam quoad *longitudinem* extendit à flexu Boreali Danubij ad Pterum Prom. igitur ad 5000. stadiorum; *latitudinem* à Scodro monte ad Carpathum item montem, ac proinde ad 3500. stadia.

N V M. 3. *Qualitas.*

QUÆCUMQUE de Daciâ, & Mysiâ cecinit Poëta Tomitanus 3. de Ponto Eleg. 1. & 8. de campis sine arboribus, de Absithiis pro herbis, de perpetuo frigore, sine ullo veris aduentu Poëticè dicta esse videntur. Certè Solinus Mysiam Cereris horreum appellatam esse à Ro. tradit. Et verò quomodo Mysia alere potuisset quingenta hominum millia ex Daciâ traducta, ut dicemus in Politia.

N V M. 4. *Mores.*

COLLIGUNTUR ex Ouidio 5. Trist. Eleg. 7. Truci sunt vultu, voce ferâ, comâ & barbâ hispidis; accincti semper ferro procedunt, semper cum arcu, & sagittis veneno illitis. Nullis legibus se adstringi sinebant, sed ius ense sibi reddebant. Pellibus induci

*Parall. Geogr. Tom. II.*

Nn

procedebant, quas in laxiores braccas malè concinnabant: Hæc *Ovidius*. De Dacis hoc quoque dictum nonnulli credunt à *Silio*,

*At gente in Scythicâ suffixa cadavera truncis  
Lenta dies sepelit.*

Quidam inter Getas, ut ait *Posidonius* apud *Strabonem*, ab vxoribus omnino abstinebant & dicebantur *Κηραι*, ideóque colebantur ut facti, eos *Πλίσις* *Iosephus* vocat, & cum suis *Essenis* componit. Putant aliqui apud *Strabonem*, idcirco ab *Homero* dictos *ἄλκίς*, quia dimidia tantum ex parte viuerent *ἡμιτελῆ βίον*. Sed hoc conuellere nititur *Strabo*, & ex *Menandro* docet nonnullos eorum non fuisse contentos decem vxoribus: immo ex eo quod *Religiosi* dicuntur, non caruisse vxoribus, quod ineptâ ratione probat.

N V M. 5. Religio.

*ZAMOLXIS* quidam Geta *Pythagoræ* famulus fuit: is reuersus in patriam acceptissimus fuit Genti, atque proceribus, quod ostentorum cælestium euenta præmonstraret. Quare & Regi suasit ut se eligeret collegam regni, ut ei denunciaret quæ diis placuissent. Ita primus est Sacerdos creatus *Zamolxis*, eius Dei qui apud Getas colitur, & deinceps Sacerdotes Regi à consiliis fuerunt. *Strabo* lib. 7.

N V M. 6. Politia.

*SVB* *Orole* Rege cum aduersus *Bastarnas* malè pugnauissent, in ultionem segnitæ capturi somnum capita, pedum loco, ponere coacti sunt, & suis vxoribus famulari, donec acceptam ignominiam delerent, *Iustin.* lib. 32. Ab *Alexandro* bello appetiti, & eorum vrbs incensa, *Arrianus*. Sub *Alexandri* successoribus *Dromichares*, vel *Dromichetes* *Lysimachum* viuum cepit, & ei comonstrata Gentis paupertate hospitium præbuit, monuitque ne tales inuaderet, sed amicos haberet, *Strabo* lib. 7. Paulò antequam à Romanis inuaderentur Regem habuere *Bærebistam*, qui & vicinis, adeóque Romanis terrori fuit; tantæque auctoritatis, ut cum iussisset vites exscindi, & suos abstinere vino, ei subditi paruerint. Vfus est autem operâ *Cenci*, cuiusdam *Ægyptij* præstigiatoris, qui & pro Deo tantum non habitus est. *Bærebistâ* autem in seditione cæso, distrahi cœperunt *Daci*; quare cum antea ducenta